OBSERVATIONES
HORARUM CANONICARUM

Ad illas devotè recitandas

CONSCRIPTÆ

à R.P. GASPARE DRUZBICKI

Polono

Societatis JESU.

Ex postumis ejus operibus

Primo in lucem datæ

Collegij Cracoviensis S.J. ad Dom.

Anno Domini 1699.

Typis S. R. M. Collegij Calis:

Soc: JESU.


Iohan Wi: fec.
Cracoviæ

PERILLVSTRI & REDMO. DNO.

D. LVCÆ

DE BUZENIN

WIELEWIEYSKI

CANONICO KIIOVIENSI

Præposito in Strzałkow

Domino observandissimo.

NOvum hoc, in confutationem unius arcani adductum *Perillustris & Reverendissime Domine.* Librum quem maxime publicum esse volumus, esse & sub

Rosa veluti ex recepto loquendi usu, inter rigidissimas privati leges. At enim forsitan hoc alibi; non sub TVA ROSA. Certè horas istas, æternitate donabimus; Divinum officium, suprahumanis honoribus; primam lucem, adulto sereno; & verè, omni nomine, tam opus quàm authorem; cum utrumque, sub Tuo Nomine in publicam famam, & parem usum producimus. Erit ita, in TUO & suo flore liber; nec tantum in suis foliis dignus legi, sed & in GENTILITIÆ ROSÆ TVÆ. Nec timemus ut primâ statim fronte habeat unde erubescat: Nihil hic in TANTO CANDORE ROSÆ ad erubescendum coloris & tincturæ. Nimium EX TVO FLORE in librum, tota venustas derivabitur: ut fere ex Te,

in flo-

in florem gentis pleraque trahitur pulchritudo. Et certè quod Rosa in floribus; hoc Tu in Prælato clero adoraris. Est quod & Sanctissimis altaribus ex Tua accedat sanctitate, quàm non in ostentationem optimi moris circumfers, sed in necessitatem exempli; sed aliis, in imperium Te imitandi; aliis, in erubescendi ex disparitate, ignominiam. Ad Tuum enim morem, velut ad certissimam regulam, potest omnis actio Sacerdotii explorari; ut fere argumentum sit optimos illos esse, qui Tui sunt non dissimiles; & iterum optimos else debere, qui Tui esse similes, adlaborant. Compungi timeret, qui aliquid TVO FLORI auderet detrahere; & citius suo se pingeret sanguine, quam à Tuo animo eliceret erubescendi ma-

 teriam,

teriam, ita depensa ad omnem honesti legem, Tui moris verecundia. Adhuc Privati Sacerdotii recenseo, id est maximorum, merita; & jam operi, quandam spem, imo infallibile publici pretii, amoris, in Te & propter Te, ingenero. Qui enim possit fieri? ut sub tantarum & tot virtutum fronte, liber non adoretur in publico, & propter Tuas, in suis æstimetur; quasi debuerit fuisse optimus quem in consortium Tuarum admisisti; & si talis non fuisset, haberet hoc ipsum ex earundem consortio. Legetur ergo & Libri in Tua, indoles; & Tua; in libri indole adorabitur; & quod hoc ipsum in officio divino persolvendo possint præstare optimi Sacerdotes, ex Te maxime, & Tuo usu, fides Authoris proposito, adstruetur. Legetur

tandem

tandem & hoc tertium; nimirum Societatis Iesu in Te, propter Tua, officium; unum hoc, propter tot Tua, in illam; Quamvis utcunque unum ſit; quotidie tamen ab illa, ſub quadam religione facti, Tuis meritis & Tuæ dignitati perſolvetur, ut pote ad hoc, titulo & nominibus Tuorum in illam beneficiorum obligata, & devota,

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMÆ:

Dominationi Tuæ

Societate JESV.

Collegij PETRICOVIENSIS.

FACULTAS.

R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS

Societatis JESV per Poloniam.

Ex postumis operibus Patris Gasparis Druzbicki Societatis IESV Sacerdotis. *Has Horarum Canonicarum observationes*, cum Patres ad revidendum deputati, dignas esse luce publica censuerint. Ego potestate ad id mihi facta ab Admodum Reverendo Patre nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generali, facultatem concedo, ut eidem luci exponantur. Calissij 19. Martij. Anno Domini. 1699.

VALENTINUS QUECK.

ORA-

ORATIO

Pro gratia cognitionis Psalmorum.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Ecclesiam tuam, per Beatum Psalmistam Regem & prophetam David, Psalmos & hymnos, quibus te jugiter die ac nocte laudaret, docuisti: Da nobis hujus Ecclesiæ ministris, per ejusdem Sancti David merita, gratiam copiosam, ut & Psalmorum istorum sensus cognoscere, & devotionem gustare, & Te DEum nostrum, Spiritu Davidico laudare mereamur. Per Dominum nostrum Deum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen.

ALIA

Ad Sanctum DAVIDEM.

SAnctissime Patriarcha & Propheta David: qui Ecclesiam Domini Dei tui ad laudandum illum, Psalmis sapientiæ Divinæ plenis, tibi à Spiritu Sancto inspiratis, ornasti & ditasti; impetra nobis hujus Ecclesiæ filiis, à sapientia Incarnata JESU Christo Filio tuo, profundam, devotam, salutarem, Psalmorum tuorum cognitionem, quâ tu ipse præditus, eos Deo decantasti; ut etiam nostra illorum decantatio, fiat semper Deo nostro, jucunda & decora et sapiens laudatio. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum Amen.

ALIA

Pro gratia devotæ recitationis officij.

DOmine, rogo Te per quidquid Tu ſcis, quod te rogare poſſim, quodque tibi eſt acceptiſſimum, ſi per illud te rogem: ut des copioſam gratiam mihi, & omnibus, qui hos actus affectuſq; legent, ut eos intime concipiant; perfectius quam hic explicantur, eliciant; ita ut quam maximum tibi guſtum præbeant.

Domine hos qui hic deſcripti ſunt affectus, omnes & ſingulos, alioſq; quoſcunque tibi placentes, tibi offero, per filium tuum, ut per illum oblati, Te quam maximè oblectent.

EXCITATORIVM

Ad horas Canonicas devotè recitandas.

I. *PSallite Deo noſtro, pſallite: Pſallite Regi noſtro: Pſallite. Quoniam Rex omnis terræ Deus: Pſallite Sapienter.* Pſal: 46. *Qui loquitur linguà, oret ut interpretetur: Nam ſi orem linguà? Spiritus meus orat: mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? orabo Spiritu: orabo & mente: pſallam Spiritu, pſallam & mente.*

II. *Sed qualis aut quanta ſit laus, ſi devota non ſit? Aptè itaq; tribus vitulis, totidem farinæ modii (in oblatione Annæ pro Samuele) conjunguntur: ut de eo, quod in Dei laudibus ore dicimus, per devotionem ſatiemur. Nam ſine farina, vitulum offert, qui in Dei laudibus, verba quidem edit, ſed mente vaga, ad ea quæ loquitur, non intendit. Sed, ſi verba Dei, laudando vel orando proferentes, hilareſcimus? dum intelligentiæ miſcemus gaudium, illius vini, quod lætificat Cor hominis; farinæ anphoram ſociamus.* S. Gregorius lib:1. in 1. Regum cap: 1.

III. *Beata Veronica Virgo, in quodam raptu vidit beatas moniales, breviaria aut corollas miræ pulchritudinis manu geſtantes; dixit autem Angelus Domini Veronicæ: Ornatus librorum & corollarum, qui eſt quibuſdam præſtantior? donatus eſt eis à ſuperna curia; quoniam in perſolvendis horis Divinis attentiores ferventioreſq; fuerunt* lib: 5. vitæ cap: 15. *S. Bernardus vidit Cantum Religioſorum in choro, ab Angelis Sanctis diverſimodè notari. aliquorum aureo charactere; aliquorum argenteo; aliquorum minio; atramento; aquà;*

aliorum ne notari quidem. Et *explicavit Domini Angelus, signari per hoc; insignem fervorem, et supinum teporem in psallendo.*

IV. *Solitus erat S. Franciscus, horas, Canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote; nam licet oculorum, stomachi, splenis, hepatis, ægritudine laboraret; nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum psalleret; sed horas, semper erectus, et sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itineribus constitutus, figebat tunc temporis gressum; hujusmodi consuetudinem reverentem & sacram, ob pluviarum inundantiam non omittens. Graviter enim se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Psalmos cum tanta mentis attentione dicebat, quasi Dominum præsentem haberet. Et cum nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine, labia sua lingere videbatur.* Ita S. Bonaventura cap: 10. vitæ illius.

V. *Sanctæ Gertrudi Virgini quadam vice videbatur, quod quilibet versiculus quem orans dicebat, præsentaretur Domino, in specie cujusdam, suaviter sonantis instrumenti musici, quod Dominum delectabat: & ludebat coram eo pro ut histriones in conviviis Dominorum ludere solent. Recognovit etiam illos versiculos, quos cum devotione legerat, suavisonos Domino reddere concentus, illos vero quos legerat incurate, mæstiores & submissiores voces personare.* Insin: lib: 4. cap: 36. *Eidem Sanctæ oranti, apparuit Christus Dominus cum Sanctis: & quando Sanctorum suffragia recitabantur, conspexit Sanctos singulos, pro iis à quibus implorabantur, supplices coram Deo; et devote orantium nomina,* literis aureis *scripta gestantes. Negligenter vero & cum tepore orantium nomina, in tenebris erant obscura.* Pater Nadasi in anno cælesti 25. April.

VI. *Sanctus Venantius Abbas, auditis Angelorum* Sanctus Sanctus Sanctus *Deo in cælis canentium vocibus; ad laudandum impigre Deum excitatus; aliosque excitans; Væ!* clamabat, *Væ! nobis inertibus et pigris.* Pater Nadasi in an: Cæl: 13. Octobr.

VII. *Gregorius Turunensis Episcopus, dum somnolentus horas Canonicas recitaret, ab Angelo Alapâ ad attente orandum excitatus est.* in An: Cæl. 17. Novemb. *Sancta Ludgardis ob monialium in precibus persolvendis negligentiam, pestem, postea coortam prædixit; cumque illæ orarent attentius, pestis cessavit.* in vita ejus. *Sanctus Dositheus spectabat aliquando picta inferni tormenta; singula, quæ videbat explicante sibi Beatissima, cui dixit: Domina quid quis faciet, ut hæc supplicia evadat? & respondentem audivit;* jugiter ora, atque pænas evades P. *Nadasi* in An: Cæl:

A

VIII. *Sanctus Macarius oraturus, ajebat ad cor ſuum: Habes Angelos Archangelos, Cherubim, & Seraphim, & Deum horum omnium effectorem, illic verſare; ne ſub Cælos deſcenderis; ne incideris in mundanas cogitationes.* P. Nadaſi in Ann: Cæl: 2. Ian.

IX. *Cum Sancto Sabino Epiſcopo, noctu, Pſalmos alterno choro Angeli cantabant. Huic ad ſepulchrum ſuum oranti, S. Nicolaus Epiſcopus dixit, Euge Sabine Deus tuas preces exaudivit. Et hæc me tibi juſsit nuntiare. In Divino uſque ad obitũ cultu perſeverabis. Sancto Guduvalo Epiſcopo, horas Canonicas incipienti & dicenti, DEus in adjutorium meum intende. Angeli ſubjunxerunt; Domine ad adjuvandum me feſtina. Cum Sancto Chriſtiano Religioſo, Beatiſsima. Cum Sancta Catharina Senenſi, Chriſtus Dominus, officium divinum recitabat.*

X. *Sanctus Antonius de Padua, noctu in diverſorio orans, parvulum JESUM ſuper breviarium habere conſpectus eſt. Hujus Sancti linguam, poſt plusquam triginta à morte annos, adhuc integram, exoſculatus Sanctus Bonaventura flevit & dixit:* O Beata lingua quæ ſemper ferventer laudaſti Deum, & feciſti ut etiam ab aliis laudaretur. *Author vitæ ejus.*

XI. *Magnam injuriam Deo facis, cum illum precaris; ut tuas preces exaudiat, quas ipſemet non audis; Deum precaris ut tibi intendat, tu veró nec tibi nec illi intendis.* S. Bernardus.

OBSERVATIONES
Horarum Canonicarum.

PRæter ea quæ ex legibus Ecclesiæ, doctorumq; præceptis, observanda sunt in horarum canonicarum recitatione: etiam sequentia pro commoditate, atq; beneplacito observari poterunt; ut cum majori gustu cordis divini, persolvantur.

OBLATIO.

SAnctissima Trinitas Deus, cujus immensam Majestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum; offero tibi has Ecclesiæ tuæ preces, á me modo recitandas, unitasque meritis Sanctissimæ Iesu Christi Humanitatis Pretiosissimæ Parentis; omniumq; electorum tuorum. Offero imprimis omnes earum affectus & sensus, à Spiritu tuo Sancto, & ab Ecclesia Sponsa tua, Matre nostra, depositos atq; intentos. Offero omnia et singula earum puncta commata, sententias, verba, litteras. Offero omnes motus mentis, linguæ meæ, manuum mearum, omnes ictus, aspectusque oculorum, omnes respirationes meas, omnes cogitationes, affectionesque corporis, et membrorum, animæ sensuumque internorum, et externorum, omnes mei totius commotiones, in hac præsenti recitatione intercursuras. Accepta ergo hoc tributum servitutis meæ, Tu qui es Dominus, Rex, Deus meus, solus, unus, absolutus, naturalis: aperi os meum & laxa atque rege mentem meam, ad benedicendum nomen Sanctum tuum. Emunda cor meum, & serva ab omnibus vanis, perversis, impertinentibus, alienisque cogitationibus: illumina intellectum; accende affectum; & da; ut digne, attente, devote, quiete, reverenterque officium hoc recitem; & à Te in omnibus intentionibus tibi placitis, meis; & meorum; & Ecclesiæ tuæ; ante conspectum tuæ Divinæ Majestatis exaudiar. Imple, & confirma me, Spiritus Sancti gratiâ efficaci, & abundanti: eaq; me purifica, confirma, & sanctifica: ut tibi hoc & omne aliud, totius vitæ meæ servitium, in sanctitate et justitia, in devotione et fervore, in reverentia attentione, & perseverantiâ; nunc & semper exhibere valeam. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

Sanctissime ac dignissime, in Vnitate substantiæ, & in Trinitate Personarum Deus, Pater Fili Spiritus Sancte: qui omnibus et singulis creaturis, præsens es, præsides,& cooperaris, et cui omnia obsequium sacrificiumque debent, cognitionis, subjectionis, dilectionis atque laudis; qui tuas creaturas, honori & obsequio tuo specialiter deputari & segregari, atque consecrari facis: Ecce & ego servorum tuorum minimorum minimus advenio nunc, Tibi, sacrificium adorationis, postulationis quoque & orationis, per omnes quidem actiones meas, tibi omnimode, ac semper debitum, ac specialissime per officium ad hoc á tua Ecclesia Sancta institutum, et imperatum persoluturus. Per voluntatis meæ tibi devotæ propositum desiderans & statuens, quam condignissime, quamque reverentissime, honorare & exaltare, dignissimam Majestatem tuam. Idque & in virtute cordis, Animæ Verbique Incarnati, & in unione meritorum ejusdem, ejusque Parentis pretiosissimæ ac etiam Electorum tuorum omnium. Statuens etiam, ministerium istud meum, per tuam auxiliantem gratiam, perque Iesu Christi, et ejus Matris Sanctorumque omnium exempla, et exemplorum imitationem, quam perfectissime, omni virtutum heroicarum, heroico quoque et tibi placito, teque digno gradu, perficere atque complere, statuens etiam, atque comprehendere intendens, omnes intentiones tuas divinas ad intra & extra: itemque intentiones Iesu Christi Filii tui, Domini nostri, ab ipso erga Te, erga se, erga nos, habitas habendasque. Pretiosissimæ quoque Parentis MARIÆ ac omnium Electorum tibi placitas voluntates: idque propter majorem, ac majorem, tam majestatis tuæ, quam Iesu Christi, matrisque & electorum ejus, gloriam, & exaltationem. Propter meum verò ampliorem, & condigniorem coram Te ad omnem actualem, atque habitualem, gratiæ tuæ in omnibus, & singulis actionibus, passionibusque meis conquirendum, promerendumque ornatum. Tu o Trinitas Sanctissima, præpara me per tuam divinissimam efficacissimam, ac finalissimam miserationem, atque gratiam, ad istius præsentis officii & ad omnis alterius mei obsequii persolutionem: acceptans illam & hodie, & semper deinceps, cum illo suavissimo Divini tui cordis gustu, cum quo acceptasti, acceptas, acceptabisque per omnem æternitatem, omnia obsequia erga Te, IESU Christi, & Matris ejus, & omnium electorum. Cum quibus Tu

Deus in Trinitate unus, vivis & regnas in cælo beatus & gloriosus per omnia sæcula sæculorum Amen.

JNTENTIO PRECUM

Et ejus Sublimatio.

IN virtute cordis, & Verbi Incarnati; In unione meritorum IESU Christi: Pretiosissimæ Parentis: omniumque electorum: volo, Matutinum, laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, completorium dicere, & orare; Orandoq; ac dicendo. Volo divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ illius Ecclesiæ, laudare: Iesum Christum; Pretiosissimam Parentem; & Sanctos honorare: salutem & perfectionem meam curare; ad omnem misericordiam atque gratiam sanctificantem, & auxiliantem (in specie Sacramentalem & sacrificialem) ad omnem quoque peccatorum, & peccatis debitarum pænarum (in specie spiritualium) veniam, ac indulgentiam me disponere: obligationi meæ, & intentioni Ecclesiæ satisfacere.

In honorem Sanctissimæ Trinitatis, & ut exaltetur dignissimus Deus salutis meæ. In honorem Sanctissimæ IESU Christi Humanitatis. In honorem pretiosissimæ ejus Parentis, omniumque electorum.

Affectu Sanctissimæ Trinitatis, & IESU Christi Humanitatis, Pretiosissimæ Parentis, electorumque omnium, toto me, toto me, toto me.

Pro intentionibus Sanctissimæ Trinitatis, ad intra & extra: Pro intentionibus IEsu Christi, erga Patrem, & erga se, & erga nos: Pro intentionibus Pretiosissimæ Parentis, erga Deum, erga Filium, erga se, erga nos: Pro intentionibus omnium Electorum: Pro intentionibus Ecclesiæ; & meis; & meorum omnium in Deo:

Habitu; affectu; Spiritu; orantis ad Deum Dominum Majestatis Pàtremque immensæ dignitatis mihi præsentem. Ex voto. In balneo sanguinis, mortis & meritorum Christi; Seraphice; mariane; Instar Christi IESU; sacrificative. Per omnes atomos meos; & universi; eosq; universalizatos, mihiq; impersonatos. Verbo. Toto me: toto me:

Ad Saginandum gustum Dei in me; meumq; in Deo; propter DEum; Digne Deo; clare; distincte; applicate; ignitissime; cum observa-

obſervatione; repetitione; ratihabitione obſervationum, & intentionum, et oblationum, & propoſitorum; ſemel pro ſemper.

Attentionem; Intentionem; Devotionem; Reverentiam; Fervorem; Perſeverantiam in Dei præſentia: da; Et veni Sancte Spiritus & emitte cælitus lucis tuæ radium.

ALIA PRAXIS
Intentionis Precum.

SAnctiſſima, Auguſtiſſima, Beatiſſima Trinitas Deus. Ad exaltationem & glorificationem tuam; ad benedicendum, magnificandumq; Te. Ad dilectionem, appretiationem, gratiarumq; actionem tibi, pro omnibus & ſingulis gratiis beneficiiſq; tuis præſtitis & præſtandis per omnem æternitatem, Sanctiſſimæ IESU Chriſti Humanitati; Pretioſiſſimæ Parenti; electis omnibus; Creaturis omnibus; & mihi minimo omnium creaturarum. Ad optationem omnium gratiarum tuarum, per omnem æternitatem, Sanctiſſimæ IESU Chriſti Humanitati; Pretioſiſſimæ Parenti: Electis: & creaturis omnibus; & mihi minimo omnium creaturarum. Ad expiationem pleniſſimam omnium obligationum, & pænarum mearum; in ſpecie ſpiritualium & damni. Ad auxilium animarum purgatorii. Ad ſaginationem, recreationem, expletionem, contentationemq; totius voluntatis, & voluptatis, & guſtus, & cordis tui divini: nec non Sanctiſſimæ IESU Chriſti humanitatis, Pretioſiſſimæ Parentis, omniumq; electorum: Omnia & ſingula, agere & pati volo: ac nominatim hanc officii recitationem: Toto Te: toto me. *Domine labia mea aperies &c. Deus in adjutorium &c. Venite exultemus: Te Deum laudamus &c. Benedictus &c. Magnificat &c.*

POteſt Sacerdos, cum Divino guſtu, & ſuo merito majore, horas canonicas recitaturus ac recitans, aſſumere varias ſpecies; cum, & in quibus, oret Divinum Officium, (imo & agere quamcunq; aliam actionem ſuam) ſive totum in una eademq; ; ſive partem; in hac: partem aliam; in alia; pro affectu guſtu & libitu.

1. SPecie legati Eccleſiæ; totiuſq; mundi, ſeu generis humani; cauſam apud Deum agentis.

2. Specie Actoris in theatro; spectaculum Deo, cælo, mundo, exhibentis. O qualem actorem! qualem actionem esse decet! quando theatrum, mundus; spectator Deus, & tota curia ejus.

3. Specie mendici, ad ostium magni Patrisfamilias, stipem & opem mendicantis; sibi; suis; Ecclesiæ; humano generi; cunctis necessitatibus cunctorum.

4. Specie Sponsæ aut Reginæ ornatæ, & circumdatæ varietatibus, cum Sponso Rege conversantis; ut Abigail; ut Saba.

5. Specie debitoris servi, debentis decem millia talentorum, nec habentis unde reddat; hoc est, specie Rei peccatoris, confusione pleni; timentis; pænam deprecantis; sibi; aliis; communitati; mundo.

6. Specie Creaturæ in abysso nihili & peccati sui, præ metu & reverentia Dei Creatoris, Domini, Iudicisque sui tabescentis.

7. Specie ministri coram Deo majestatis immensæ assistentis; ministrantis; operantisque.

8. Specie catelli coram Domino blandientis; pedes lambentis; & micas de mensa Domini, ejusque filiorum cadentes, expectantis; colligentisque.

9. Specie Seraphini igniti & ignescentis coram Domino, super solium excelsum & elevatum; cujus gloriâ plenus sit orbis.

10. Specie unius alicujus de septem spiritibus principalibus; qui stant coram Domino semper.

11. Specie unius alicujus ex senioribus adorantibus, coram Deo, & Agno; & coronas suas mittentibus ad pedes ejus.

12. Specie naufragi, in mediis fluctibus maris periclitantis, & opem præsentem inclamantis; sibi; suis; aliis;

13. Specie ægroti; aut Lazari morbosissimi & ulceribus pleni; medici magni manum, exposcentis.

14. Specie amici cum amico, dulciter, familiariter, fidenterque, colloquentis; communicantis; suas, suorumque res, commendantis.

15. Specie columbæ in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, perfectionum Dei, vel vulnerum Christi, manentis; gementis.

16. Specie beati alicujus, beatifico intuitu in Deum demersi; eumque laudantis.

17. Specie vilis ranunculæ de palude prorepentis, & coaxantis coram Deo.

18. Specie tractantis Deum ut hospitem, atque convivam; tot ferculis? quot horis. vel psalmis, ac orationibus; tot bolis? quot versiculis, aut verbis, aut respirationibus.

Vide ergo ut devotione, amore, reverentiâ, attentione, condita sint omnia; ne pro suavi sapore, nauseam provocent Divino palato.

PAri ratione: potest Sacerdos varias imagines, sibi oranti ad imitationem in orando proponere, desumptas ex sacra scriptura. v. g potest orare sumendo imagines.

EX VETERI TESTAMENTO.

VT Abel; cujus orationem & munera Deus respexit.
Vt Noe; in diluvio & post diluvium.
Vt Abraham; dicens, loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.
Vt Jacob; luctans cum Deo, & timens fratrem suum Esau.
Vt Moyses; in monte, & contra Amalec.
Vt Aaron; cujus sacrificium, quotidianus ignis absumpsit.
Vt Iosue; qui solem stare fecit, & Deum voci suæ obedire.
Vt Anna; Mater Samuelis.
Vt Samuel; pro Israël.
Vt Abigail; pro Nabal ad David.
Vt David; in omni angustia sua, contra Saul; Absalon; pestem.
Vt Salomon; in dedicatione templi.
Vt Elias; pro pluvia.
Vt Elizeus; in fame.
Vt Iudith; pro Bethulia, & populo suo.
Vt Ester, & Mardocheus; contra Aman.
Vt Ezechias; pro sanitate sua.
Vt Asa & Iosaphat; in bello.
Vt Manasses; in Carcere.
Vt Ieremias; multum orans pro populo Dei.
Vt Onias, summus Sacerdos; pro eodem populo.

EX NOVO TESTAMENTO.

VT Zacharias Pater Ioannis; cujus oratio exaudita est.
Vt centurio; pro puero paralytico.
Vt Chananea; pro filia.
Vt Hæmorrhoissa; fimbriam Domini attingens.
Vt Magdalena; ad pedes Domini procumbens.
Vt Martha; pro fratre Lazaro mortuo.
Vt Hortulanus; pro ficulnea.
Vt servus; debitor decem millium talentorum.
Vt vidua; iniquum judicem oratione fatigans.
Vt Amicus; tres panes de nocte petens ab amico.
Vt discipuli; naufragantes in mari.
Vt lapsus inter latrones; saucius & semivivus.
Vt Samaritanus; curationis à lepra gratus.
Vt Leprosus; dicens, Domine si vis potes me mundare.
Vt Simeon senex; expectans redemptionem Isràél.
Vt Anna Phanuelis; quæ non recedebat à templo.
Vt Publicanus; pectus tundens, nec audens in cælum intueri.
Vt Petrus; post negatum Domiuum flens amarè.
Vt Latro: in Cruce pænitens, & Christum confitens.
Vt Paulus & Sylla; in carcere noctu orantes.
Vt Cornelius centurio.
Vt Pretiosissima DEI Mater; in nuptiis canæ, & in omni vita.
Vt Dominus IESUS; pernoctans in oratione DEI; in horto, in agone; in cælo, assistens vultui DEi Patris, pro nobis.

JNTENTIONES SPECIALES
MATVTINORVM.

PRæsente DEO: præsenti DEO; cum præsente DEO; instar præsentis DEI. In virtute cordis, & Animæ, & Verbi incarnati. In unione meritorum IESV Christi: Pretiosissimæ Parentis: omnium que Electorum. Volo divinam Majestatem præsentem, nomine

Sponsæ illius Ecclesiæ, laudare: &c. *ut supra.*

Volo matutinum dicere: affectu, & in honorem Sanctissimæ Trinitatis: & Sanctissimæ Iesu Christi Humanitatis: & Pretiosissimæ Parentis: & Electorum omnium, Et

Dom: 1. *Pro.* Justorum in justitia incremento; & perseverantia finali,

Fer: 2. *Pro.* Recenter conversis ad pœnitentiam; Deoque servire incipientibus.

Fer: 3. *Pro.* Nostris navigantibus laborantibusque, inter gentiles & hæreticos.

Fer: 4. *Pro.* Sancta morte; beatitudinis adeptione, meâ; meorum:

Fer: 5. *Pro.* Gratia obtinenda efficaci ad lucrandas animas.

Fer: 6. *Pro.* His qui hic & nunc, maxime ex meis, egent valdè auxilio divino spirituali, vel corporali.

Sab: 7. *Pro.* Dono placendi quotidie magis DEo; juxta ipsius Sanctissimam voluntatem.

MYSTERIA.

Quæ recoli possunt.

1. *a Pent: ad Adv:*	Jncarnatio & Nativitas Christi.
2. *ab Adv: ad Nat:*	SSmæ Trinitatis consilium; decretum; & executio per Angelū, super auxilium hominis lapsi.
3. *a Nat: ad Purif:*	Nativitas Christi: & gesta circa illam.
4. *a Sep: ad Pasch: & fer. sextis.*	Christi gesta in cænaculo; in horto;
5. *a Pas: ad D: in alb.* 6. *ab Alb: ad Pent:*	Resurrectio; ascensio Domini; Pentecoste.
7. *In fest: B.V. & Sab:*	Immaculata Conceptio B. V. M.

Affectus ad Psalmos Matutinorum pro singulis festis ponuntur infra.

INTENTIONES LAUDUM:

IN virtute cordis, & animæ, & Verbi Incarnati; & in unione meritorum

ritorum JESU Christi; Pretiosissimæ Parentis; electorumq; omnium; volo divinam Majestatem nomine Sponsæ illius Ecclesiæ laudare. *&c. ut supra.*

Volo laudes dicere; affectu; & in honorẽ SSmæ Trinitatis; IESU Christi Humanitatis; Pretiosissinæ Parentis; Electorumq; Et

Do: 1. Pro.	Accelerata liberatione, hærentiũ in peccati mortalis statu
Fer: 2. Pro.	Iustis in virtute & gratia proficientibus.
Fer: 3. Pro.	Nostris magistris, confessariis, Concionatoribus, missionariis, & quomodolibet animarũ salutẽ procurãtibus.
Fer: 4: Pro.	Remissione peccatorum & pænarum; mihi; & meis;
Fer: 5. Pro.	Pœnitentibus meis præteritis, præsentibus, & futuris.
Fer: 6. Pro.	Augmento devotionis erga passionem Domini; ejusq; Matris; in me; & in omnibus Ecclesiæ filiis.
Sab: 7. Pro.	Successu felici officiorum; negotiorum; propositorumq; meorum.

MYSTERIA.

1. a Pent. ad Adv:	Vita Christi à natali ad annum 12m,
2. ab Adv: ad Nat:	Annunciatio, & Incarnatio Christi.
3. a Nat: ad Pur:	Angeli, & Pastores
4. a Sept. ad Pasc: & feriis sextis	Christus apud Caipham; Annam, in carcere.
5. a Pasc: ad D. in alb.	Christi gloriosi apparitio Pretiosissimæ. Matri. Item Patrum è limbo eductorum
6. ab alb. ad Pent:	
7. In fest. B. V: & Sab.	Nativitas Pretiosissimæ Parentis in mundum.

Affectus ad Psalmos laudum.

Dominus regnavit.	AFfectu gratulantis DEo regalem gloriam, & eam ostendentis Creaturis.	ad saginam dum gustũ Dei.
Iubilate	Affectu cupientis Deum ab omni creatura laudari, & ad hoc eam invitantis.	digne Deo
Deus De:	Affectu evigilantis ad Deum, & sitientis ipsum.	Toto me.
Deo misereatur	Affectu poscentis à Deo benedictionem, sibi; suis; omnibus.	
Benedicite.	Affectu omnis creaturæ DEum benedicentis.	Exaltetur DEus. ad saginam dum gustũ
Laudate Cantate Laudate.	Affectu omnis creaturæ; Electorum; Spiritus omnis, Deum laudantis.	

Hy-

Hymnus Affectu suo, nomine totius Ecclesiæ militantis. *digneDEo*
Benedictus Affectu exultantis, pro impletis Dei promissis omnibus, de Christo. *Toto me.*

O R A T I O.

DOmine Iesu Christe, in unione orationis & sanguinei sudoris tui à te inter agoniam tuam Patri oblati, & omnium illarum injuriarum, quas ab hora captivitatis, in viis & domibus Pontificum, tum in carcere nocturno, amarissimas, indignissimas, & crudelissimas pertulisti; *offero istud matutini, & laudum obsequium;* humiliter deprecando, ut per illud tibi compenses aliquatenus, omnem illam enormitatem injuriarũ, blasphemiarum, tormentorum. Qui vivis & regnas &c.

INTENTIONES PRIMÆ.

PRæsente Deo; præsenti Deo; cum præsente Deo; instar præsentis Dei. In virtute cordis, & Animæ, & Verbi Incarnati. In Unione meritorum IESU Christi; Pretiosissimæ Parentis; Electorumque omnium. Volo Divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ illius Ecclesiæ, laudare, &c.

Volo primam dicere; affectu; & in honorem Sanctissimæ Trinitatis: IESU Christi Humanitatis: Pretiosissimæ Parentis: & Electorum omnium: Et

Dom: 1. Pro. Fidei Catholicæ conservatione, propagationeque; & omni gradu Ecclesiæ.

Fer: 2. Pro. Justorum in virtute & perfectione profectu; perseverantia; eorum præsertim, quos perseverare interest salutis multorum.

Fer: 3. Pro. Dandis à Deo Societati IESU, sanctis, doctis, ferventibus, prudentibus, felicibus, sanis, multis operariis.

Fer: 4. Pro. Assequenda passionum mortificatione, tam à me; quàm à meis.

Fer: 5. Pro. Vt ad me dirigantur Animæ, maxime egentes, vivorum ac mortuorum; utque eas ego juvem efficaciter & juxta gustum Dei.

Feria 6. Pro. Dono exercendæ in omnibus divinæ voluntatis, à me;

me; & omnibus.

Sab: 7. Pro.	Beneficiis mihi à Deo tam communiter, quàm privatim concessis.

MYSTERIA.

1. a Pent. ad Adv:	Vita Christi Domini ab anno 12. ad 30m.
2. ab Adv: ad Nat:	Visitatio Elisabethæ; Ioannis sanctificatio; Metus Iosephi.
3. a Nat: ad Pur:	Circumcisio Domini. Impositio Sanctissimi nominis Iesu. P. Parentis dolor.
4. ad Sept: ad Pas: & feriis sextis.	Christi gesta apud Pilatum & Herodem.
5. a Pas: ad D: alb.	Apparitiones Domini post resurrectionem, Magdalenæ; Discipulis.
6. ab Alb. ad Pent:	
7. In fest B V. & Sab.	Præsentatio & vita B. M. in templo.

Affectus ad Psalmos Primæ.

Deus in nom:	Affectu derelicti, & petentis se hostibus eripi: offerentisq; se ad Sacrificium Deo	ad sag: gust: DEi.
Confitemini.	Affectu exaltantis Deum, pro beneficiis præteritis; poscentis autem nova futura.	digne Deo
Beati immac:	Affectu petentis, doceri legem Dei.	Toto me
Retribue.	Affectu cupientis scire, & exequi legem Dei; petentisq; profectum in illa, loco præmii.	ad sag: gust. Dei
Quicunq; vult	Affectu jurantis, in singula puncta symboli	Exaltetur Deus.
Fer: 2. Domini est ter.	Affectu confitentis Deum authorem omnium; & aperientis, ejus gloriæ, justitiæ, misericordiæ domicilium.	Exaltetur
Fer: 3. Ad te leva.	Affectu rogantis à Deo veniam, & liberationem ab hostibus.	Exaltetur
Fer: 4. Iudica me.	Affectu cor suum Deo candide aperientis, nec abnuentis ab eo probari.	Exaltetur
Fer: 5. Domin. regit	Affectu secure conquiescentis, in cura DEI.	Exaltetur
Fer: 6. Deus Deus meus.	Affectu Christi; Christianiq; dolores passionis, Patri æterno pro mundo offerentis.	Exaltetur

ORA:

ORATIO.

DVlcis JESU, qui hora primâ Pilato, à Iudæorum Pontificibus & plebe præsentatus, & reus falsorum criminum factus, ab Herode pro stulto habitus es pro nobis; *Suscipe hoc primæ horæ obsequium*: & Patri æterno fac illud gratum, in unione tui amoris: Qui vivis & regnas, &c.

INTENTIONES TERTIÆ.

IN virtute cordis, & Animæ, & Verbi Jncarnati. In unione meritorum IESU Christi; P. Parentis; & Electorum. Volo divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ ipsius Ecclesiæ, laudare &c.

Volo tertiam dicere; affectu; & in honorem Sanctissimæ Trinitatis; Iesu Christi Humanitatis; P. Parentis; & omnium Electorum: Et

Dom: 1. *Pro.* Concordia Principum Christianorum.

Fer. 2. *Pro.* Venientibus ad usum rationis, & adolescentibus; ut ex tunc Deum timeant; innocentiam servent; noxias familiaritates fugiant: nec mala educatione depraventur; statū vitæ, ex mente Dei eligant, & ineant.

Fer: 3. *Pro.* Reprimenda rabie dæmonum, in impedienda conversione hominum, paceque Christianorum, quam nostri procurant.

Fer. 4. *Pro.* Adipiscendo neglectu rerum humanarum, respectuumq; & pro tentationum victoria, à me; & meis.

Fer: 5. *Pro.* Congruis auxiliis ad præsentiam Dei; unionem Cum ejus voluntate; & ad Eucharistiæ Sacramentum, missæq; sacrificium.

Fer: 6. *Pro.* Ea gratia impetranda, quàm Deus vult à se per me posci; quamque ille dare disponit; pro amovendis impedimentis ejus.

Sab: 7. *Pro.* Profectu insigni in spiritu.

MYSTERIA.

1. à Pent: ad Adven:	Baptismus; Iejunium; Tentationes Christi.
2. ab Adv: ad Nativ:	Sollicitudo P. Parentis ex metu Iosephi de Christi Conceptu.
3. à Nat: ad Purifi:	Adventus Regum; adoratio; munera.
3. à Pur: ad Pasch. & feriis sextis.	Christi nudatio; flagellatio; Coronatio.
5. à Pas: ad D. in alb.	Apparitio Christi Petro; Iacobo; disc: duobus.
6. ab in alb: ad Tri:	Apparitio januis clausis, absente, & præsente Thoma.
In fest: B. V. & Sabb:	Annunciatio B. V. & Christi conceptio.

Affectus ad Psalmos Tertiæ.

Legem pone.	Affectu ejus, qui satur errorum, ad legẽ Dei tandem vult, & petit vivere.	ad sag: gust: DEI.
Memor esto.	Affectu deligentis sibi legem Dei, ex omnibus bonis ejus, in portionem.	digne Deo.
Bonitatem.	Affectu humiliati à veritate, voluntate, & Bonitate Dei, & subdentis se tandem, Deo.	Toto me.

ORATIO.

Dulcis Iesu, qui hora diei tertiâ, probrose flagellatus, & spinis coronatus es: Te *istà horà* precor, & adoro, atque Te Regem æternum profiteor, & omni creaturæ denuncio. Qui vivis & regnas &c.

INTENTIONES SEXTÆ.

In virtute cordis, & Animæ, & Verbi Incarnati: In unione meritorum IESU Christi: P. Parentis: & Electorum.

Volo Divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ ipsius Ecclesiæ laudare &c.

Volo sextam dicere; affectu; & in honorem Sanctissimæ Trinitatis; Iesu Christi humanitatis; P. Parentis; Electorum: Et

Dom: 1.	*Pro.*	Levatione dolorum his, qui nunc morbis corporis laborant.
Fer: 2.	*Pro.*	Necessitatibus Patriæ, & pro ejus defensoribus.
Fer: 3.	*Pro.*	Superioribus Societatis Jesu; ut ejus florem conservent, suaviter, efficaciter & semper.
Fer: 4.	*Pro.*	Gratia ad universas virtutes status mei, assequendas à me.
Fer: 5.	*Pro.*	Congruis auxiliis ad Sacramentum pœnitentiæ obeundum, & ministrandum à me.
Fer: 6.	*Pro.*	Pro dono, semper vivendi sine obligatione culpæ & pænæ etiam spiritualis: & pro expiandis peccatis, mihi occultis.
Sabb: 7.	*Pro.*	Conversione & pœnitentia finali, magnorum peccatorum.

MYSTERIA.

1. *à Pent: ad Adv:*	Labores Christi; Prædicatio; vocatio discipulorum; miracula.
2. *ab Adv: ad Nat.*	Vita; actiones passionesque Christi in utero Pretiosissimæ Parentis.
3. *à Nat: ad Pur:*	Purificatio Mariæ; oblatio Christi; prædictio Simeonis.
4. *à Sep: ad Pasc: & feriis sextis.*	Christi damnatio; Crucis bajulatio; Crucifixio.
5. *à: Pas: ad D. alb.*	Apparitio Christi ad mare Tyberiadis.
6. *ab alb: ad D. Tr:*	Ascensio & triumphus Christi euntis in cælum.
7. *in fest. B. V. & Sabbatis.*	Visitatio Elisabeth à Pretiosissima Parente.

Affectus ad Psalmos Sextæ.

Defecit.	Affectu deficientis in suo nihilo, & Deum invocantis.	Ad sag: gust. Dei.
Quomodo.	Affectu gloriantis de experimento dulcedinis legis Dei.	Digne Deo.
Iniquos.	Affectu odientis transgressores, ob transgressiones legis Divinæ.	Toto me.

ORATIO.

DUlcis Iesu, qui horâ diei sextâ, in Cruce fixus, probrose pependisti; & Patri æterno, te hostiam, pro mundi salute obtulisti: suscipe hoc laudis sacrificium à nobis; ut sit acceptum Deo Patri, in oblationis tuæ unione: Qui vivis & regnas, &c.

INTENTIONES NONÆ.

IN virtute cordis, & Animæ, & Verbi Incarnati; In unione meritorum Iesu Christi; P. Parentis, & Electorum.

Volo Divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ ipsius Ecclesiæ, laudare &c.

Volo Nonam Dicere; affectu; & in honorem Sanctissimæ Trinitatis; Iesu Christi Humanitatis; P. Parentis; & Electorum: Et

Dom:1.	*Pro.*	Solatio tribulatorum in anima, exterius interiusque.
Fer: 2.	*Pro.*	Diminutione peccatorum in mundo, & conversione.
Fer: 3.	*Pro.*	Necessitatibus negotiisque Religionis, tum universæ; tum provinciæ: tum hujus domus, ac loci.
Fer: 4.	*Pro.*	Dono orationis, & intimæ humilisque familiaritatis cum Deo mihi.
Fer: 5.	*Pro.*	Dono oportunè ad indigentiam proximorum colloquendi; concionādi; cōversandi; scribēdi; consulēdi.
Sabb:7.	*Pro.*	Dono puritatis internæ & externæ; in me; & in meis; & in Societate IESU.
Fer: 6.	*Pro.*	Dono, Iesu Christi Passionem; Mariæque compassionem; animo & corpore, intime sentiendi.

MYSTERIA.

1. à Pent: ad Adv:	Passio Christi; mors; sepultura.
2. ab Adv: ad Nat:	Vita; pretium; vota B. V. prægnantis.
3. à Nat: ad Pur:	Cædes infantum: fuga in Ægyptum.
4. à Pur. ad Pasch: & feriis sextis.	Christus inter latrones; orans; septem verba dicens; moriens.
5. à Pas: ad D. in alb:	Apparitio Christi ultima.
6. ab alb: ad Pent:	Missio Spiritus S. in discipulos.

Affectus ad Psalmos Nonæ.

Mirabilia. Affectu scrutantis legem Dei, & ex ea ignescentis. *ad sag: gustum Dei.*

Clamavi, Affectu totis animæ visceribus ad Deũ clamãtis *digne Deo*

Principes. Affectu insultantis, hostibus inhiantibus sibi frustra, ut oviculæ, lupi inhiant, præsente Pastore. *Toto me.*

O R A T I O.

DUlcis Iesu, qui horâ nonâ, cum clamore valido & lachrymis, inclinato capite, Patri Spiritum tradidisti: & Cor tuum tribus horis angustiandum, ac post mortem lanceâ cum latere vulnerandum, obtulisti: obsecro, ut corda nostra, cordi tuo, amore æterno digneris jungere, & in morte nostra, ad Te, qui vere paradisus es, facias, instar Sancti latronis, pervenire: Qui vivis & regnas &c.

INTENTIONES VESPERARUM.

PRæsente Deo; præsenti Deo; cum præsente Deo; instar præsentis Dei. In virtute cordis & animæ, & Verbi Incarnati; In unione meritorum Iesu Christi, Pretiosissimæ Parentis; & Electorum. Volo Divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ ipsius Ecclesiæ, laudare &c.

Volo Vesperas dicere; affectu; & in honorem Sanctissimæ Trinitatis, Iesu Christi Humanitatis; P. Parentis, Electorumq;: Et

Dom. 1. Pro. Agonizantium morientiumq;, efficaci auxilio à Deo.

Fer: 2. Pro. Positis inter propinquas peccati mortalis, occasiones

Fer: 3. Pro. Benefactoribns, ac malefactoribus Societatis privatim vero meis; seu vivis, seu defunctis.

Fer: 4. Pro. Obtinenda humilitate interna; Patientiâ lætâ; charitate perfecta; Præsentiæ Dei memoria jugi & fructuosa; valetudine commoda, laboribusque apta: mihi; & sociis.

Fer: 5. Pro:	Habendis, noſcendis, arripiendis, exercendiſque occaſionibus merendi, de animarum ſalute, & gloria Divina.
Fer: 6. Pro.	Pro dono libertatis & induſtriæ, ad Dei gloriam promovendam: utque Deus utatur me, ad confundendum me; exaltandum verò ſe valde; tanquam, inſtrumento voluntatis ſuæ.
Sabb: 7. Pro.	Expiandis defectibus, totâ hebdomadâ à me commiſſis.

MYSTERIA.

1. à. Pent. ad Adv:	Reſurrectio & aſcenſio Chriſti; & miſſio Spiritus ſancti.
2. ab Adv: ad Nat:	Vota Patrum in limbo, pro nativitate Chriſti.
3. à Nat: ad Pur:	Mora in Ægypto; reditus inde; manſio in Nazareth.
4. in Sept: ad Paſc: & feriis ſextis.	Chriſtus mortuus: foſſus in latere; depoſitus de Cruce.
5 à Paſ: ad D. in alb.	Chriſti apparitio ultima, recumbentibus diſcipulis.
6. ab alb: ad D. Pen:	Chriſti conſeſſus ad Patris dexteram.
7. su Feſt B.V. & Sab:	Mors & ſepultura Pretioſiſſimæ Parentis.

Affectus ad Pſalmos Veſperarum.

Dominus.	Affectu gaudentis, de Chriſti ad Patris dexteram, conſeſſu.	Ad ſag: guſtum De.
Confitebor.	Affectu gratias agentis Deo, pro memoriali mirabilium ſuorum; id eſt pro Chriſto, & ejus paſſione; & ſacrificio; atq; Sacramento.	Digne Deo
Beatꝰ Vir.	Affectu exhortantis ſe; & omnes; ad timorem Dei.	Toto me.
Laud: pur:	Affectu tenerè Deum, in, & pro toto mundo, laudantis.	Exaltetur Deus.
In exitu.	Affectu exultantis, de operibus Dei: cum repetitione verſiculi; *non nobis Domine non nobis Sed nomini tuo da gloriam.*	Ad ſag: guſtum Dei.
Laud: Dom:	Affectu omnium gentium, Deo laudē debentiū.	

Credidi. Affectu Deo, vota gratiarum reddentis liberalissime. Ad sag. gustum Dei.

Mem: Do. Affectu Ecclesiæ utriusque, pro bonis Pastoribus datis, & dandis.

Confitebor. Affectu psallentis Deo, cum SS. Angelis, pro omnibus donis eorum.

Laud: Hier: Affectu glorificantis Deum, pro amore Ecclesiæ utriusque.

Hymnus. Affectu suo. Digne Deo.

Magnific: Affectu P. Parentis, Deum magnificantis, pro omni creatura:

O R A T I O.

DOmine Iesu, qui horâ Vespertinâ, Corpus tuum vulneribus tam plenè quàm fœdè laceratum, de Cruce deponi in sinum Dolorosæ Matris tuæ, voluisti; effice, ut nos quoque Crucem, à tua nobis bonitate impositam, nunquam deseramus; sed ex ea in morte depositi, per manus piissimæ Matris tuæ, tibi præsentari mereamur. Qui vivis & regnas &c.

JNTENTIONES COMPLETORII.

JN virtute cordis, & animæ, & Verbi Incarnati. In unione meritorum Iesu Christi; P. Parentis; & omnium Electorum. Volo Divinam Majestatem præsentem, nomine Sponsæ ipsius Ecclesiæ laudare &c.

Volo completorium dicere; affectu, & in honorem Sanctissimæ Trinitatis, Iesu Christi, Humanitatis, P. Parentis Electorumq;: Et

Dom: 1. Pro. Animabus purgatorij; augmentoque pietatis erga illas in Ecclesia.

Fer: 2. Pro. Iis rebus, pro quibus orare deberem, aut vellem; at vel negligo; vel nescio; pro quibusque alii debitas orationes non indicunt.

Fer: 3. Pro. Defunctis è Societate; præsertim, pro quibus suffragia ultima fuêre; aut tardant pervenire.

Fer: 4. Pro. Perfectione charitatis; cum Dei voluntate conformitatis: dono perseverantiæ finalis in sanctitate; in Societate; mihi, & aliis,

Fer: 5. Pro.	Defectibus à me commissis, in usu, & administratione Sacramentorum, pœnitentiæ; Eucharistiæ;& in missa; & in obsequiis animarum.
Fer: 6. Pro.	Domûs in qua vivo, protectione; benedictione; concordia, præsertim mea cum omnibus.
Sabb: 7. Pro.	Gratia, horas canonicas, semper digne Deo, & grate, recitandi.

MYSTERIA.

1. à Pent: ad Adv:	Christi Adventus ad judicium utrumque.
